



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

An supradictae conditiones seruandae sint in concessione feudi, &
emphyteusis. §. 4

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

4 Fit tertio posse Prælato, qui est dominus directus emphyteusis, remittere absque prædicta solemnitate caducitatem emphyteutæ, qui incidit in comm. illum ob non solutam pensionem, quia illa remissio non est cessio alicuius iuris acquisiti abfolu- tæ, sed acquirendi, si ipse voluerit: sic Iulius Clat. *S. emphy- teusis q. 10. vers. sed numquid Riccius dec. 135. & 136. Sanch. lib. 6. de matr. disputat. 4. num. 13. Rebello de obligat. iusfit. lib. 13. q. 11. num. 7. Vgolin. de potest. Episc. cap. 14. S. 7. num. 5. August. Barbola de potest. Episc. alleg. 95. n. 64. Bonac. disp. 3. de contract. feud. q. 8. part. 4. sine.*

5 Quod si de permutatione loquamur, constat manifestè per- mutationem alienationem esse quia est translatio domini quod in vnam rem habes, & alterum loco illius acquiris; ac proinde fieri non potest sine prædicta solemnitate *cap. 1. de his que fiunt à Prælo sine consens. capit.*

6 Solum est dubium, an hæc locum habeant in permutatione cum alia Ecclesia? v. g. an possit calicem pretiosum pro aliquo ornamento, & vnam hæreditatem pro hæreditate alterius Ecclesiæ permutare absque prædicta solemnitate? Negat Quarta in summ. bullar. verbo alienatio. num. 15. Bonacina disp. 3. de contract. vbi de feudo, quest. 8. part. 4. num. 20. vers. ex quo patet. Mouentur, quia in cap. capellas. 10. q. 2. & clarius in cap. sine exceptione 12. q. 2. & cap. 1. de his que fiunt à Prælo sine consens. & in extrauag. Ambitiosa, eodem modo prohibetur permutatio, ac prohibetur venditio, & donatio, sed apud omnes constat venditionem, & donationem rerum vnius Ecclesiæ celebrari non posse cum altera absque prædicta solemnitate. Ergo neque permutationem.

7 Nihilominus sectato iuris rigore censeo probabilius permutationem fieri posse absque prædicta solemnitate: sic docet Riccius *prax. rerum firi Ecclesiasticæ, dect. 74. in 1. edit. & resol. 60 in 2. dec. 38. in 1. edition. & resolution. 53. in 2. Triuitan. dect. 56. part. 2. August. Barbola 3. part. de potest. Episcop. alleg. 95. num. 55. Probant ex eo quod in permutationibus his Ecclesiasticis omnino cessat ratio prohibitionis alienandi res Ecclesiæ, que est, ne res Ecclesiæ ab Ecclesia exeant, & prophanis vibus applicentur, quod satis constat ex proemio extrauag. Ambitiosa: vbi prophanis vibus applicare, aut cum maximo illorum, aut diuini cultus detrimento exquisitis modis usurpare præsumunt: quæ verba cum sint proceralia causam finalem dispositionis indicant, leg. fin. & ibi Panormit. n. 3. ff. de hæredib. instituta. Ad ex his permutationibus res Ecclesiastica terminos Ecclesiæ non transgreditur, neque prophanis vibus applicatur, sed eodem modo Ecclesiastica manet, ac antea. Ergo aduersus hanc permutationem non procedit lex prohibens: si quidem solum præsumi debet extendi ad ea, ad quæ extenditur finis in prohibitione inuentus: iuxta textum in *c. cum cessante, de Appellation. Ceterum hæc ratio mihi non probatur: nam ex ea aperte sequitur non solum permutationem, sed etiam venditionem, & donationem fieri posse absque dicta solemnitate, si cum aliis Ecclesiis celebraretur: quia etiam in donatione, & venditione alteri Ecclesiæ facta, non egreditur res terminum Ecclesiæ, neque prophanis vibus applicatur: & tamen nemo dicit venditionem, aut donationem etiam inter ipsas Ecclesias fieri posse absque dicta solemnitate. Ergo idem est affirmandum de permutatione. Quapropter dicendum est extrauag. Ambitiosa, appo- fuisse in proemio non causam finalem, sed impulsivam ad illam prohibitionem faciendam, ac proinde est cesset, non cessare dispositionem. Quod autem illa fuerit impulsiva, & non adæquate finalis, inde colligitur: quia illa prohibitio non fuit denuo lata, sed antiqua renouata, & confirmata. Antiqua autem prohibitio alienandi non solum facta est, ne res Ecclesiæ prophanis vibus applicentur, sed ne res Ecclesiæ pereant, sed potius conseruentur, qui finis sine dubio læditur qualibet permutatione inter Ecclesias facta: quia multiplicatione permutationum passim res in interitum venit. Adde esto concedamus in extrauag. Ambitiosa, finem prohibitionis fuisse, ne res Ecclesiæ prophanis vibus applicentur, dicere debemus esse finem non prohibitionis vtique, sed prohibitionis sub illis rigorosis penis. Quocirca cum in permutatione, (& idem est de venditione, & donatione) cum aliis Ecclesiis res Ecclesiastica prophanis vibus nequaquam applicetur; efficitur non contrahi supradictas penas. Omnia ergo hæc ratione, hæc mihi videtur efficax, que sumitur ex *c. ea enim, §. sibi iniuicem, 10. quest. 2. dicente sibi iniuicem rectè permutant cum vniuersis indennitate, eorum scilicet consensu interueniente, qui supra referuntur: ex capite primo de rebus Eccles. non alienand. ibi non licet Episcopo, vel abbati terram vnius Ecclesiæ vertere ad aliam, quamuis amba in eius sint potestate, tamen si commutare voluerint terras earum, cum consensu ambarum partium faciat. Item ex clement. tertza in capite ad questionem. De rerum permutat. respondente huic questionem in hæc verba, cum de dictis parochialibus Ecclesiis per se queat permutatio celebrari; & in permutatione possessionum per se non sit inhibitum, si altera ratione possessionum alteri præponderet, pecuniam posse refundi de ipsarum possessionibus ad iniuicem, prout visum fuerit expedire, refusa certa pecunia quantitate, poterit contractus permutationis ini- ti, sic tamen quod illi contractus nequaquam sibi iniuicem mis-***

ceantur. Ex his ergo constat permutationem bonorum Eccle- siasticorum inter Ecclesias fieri posse consentiente Prælo.

Neque obstat aliquis text. eodem modo prohibere permuta- tionem, ac prohibent donationem, & venditionem, quia suffi- cient quod in aliis textibus permittatur permutatio inter Eccle- sias, non tamen venditio, & donatio: & text. quantum fieri potest, debent esse conformes, neque admittenda est illorum cor- rectio sine claro fundamento.

Verum est spectato iuris rigore hoc ita fit: ac ex consuetu- dine recepta eadem solemnitas in permutatione, ac in venditio- ne, & donatione requiritur, idemque Apostolicus consensus & tradit Riccius *resol. 60. in fine, & resolut. 35. in fine. Barbola alleg. 95. n. 57. sine.*

§. IV.

An supradictæ conditiones seruanda sint in concef- sione feudi, & emphyteusis.

- 1 In prima concessione seruanda sunt dictæ conditiones.
- 2 Illis positum dari potest feudum, & emphyteusis in perpetuum, etiam hæredibus extraneis.
- 3 Pro feudo iam concessio renouando non sunt necessaria dictæ conditiones.
- 4 Tres conditiones requiruntur, vt non reputetur noua alienatio, sed prioris renouatio.
- 5 Quando emphyteusis Ecclesiastica censenda sit transire ad hæ- redes extraneos, &c. Breuiter respondetur sub multiplici distinctione.

1 **S**I emphyteusis & feudum, concedendum primo est, non est dubium seruandas esse dictas concessiones. Tum quia ita habetur in *c. 1. de his que fiunt à Prælo sine consens. capit.* Tum quia in extrauag. Ambitiosa, excipitur emphyteusis in casibus à iure permisso, ergo extra illos procedit prohibitio facta. Casus autem à iure permisso est res solita dari in emphy- teusim, ad cuius veritatem fateor sufficere vnicam concessionem, vt multis probat Riccius in *praxi firi Ecclesiasticæ, dect. 26. n. 3. Barbola alleg. 95. n. 36.* Ergo extra hunc casum seruandæ sunt conditiones supradictæ. Deinde quia concessio feudi seu emphy- teusis est vera alienatio domini vtilis, & cuiusdam Ecclesiasticæ feruitur. Requirit ergo conditiones ad alienationem expo- stulatas: sic omnes Doctores.

2 Positis autem supradictis conditionibus potest feudum, & emphyteusis in perpetuum dari, etiam pro hæredibus extraneis: sic aliis antiquioribus relatis docent Couarruias 1. var. cap. 17. num. 4. & 5. Iulius Clat. lib. 4. sentent. §. emphyteusis questio. 6. numer. 4. & quasi. 28. num. 5. 9. & 10. Valquez de reatib. cap. 2. §. 2. dub. 16. num. 57. Mol. disp. 469. conclus. 1. & constat ex Authent. de alien. & emphyteus. §. licentiam: vbi corrigitur Authent. de non alienand. §. emphy- teusim, concedens emphyteusim solum ad vitam accipientis. Ratio est manifesta: quia ius canonicum, cui in hac parte stan- dum est, omnem venditionem, donationem, permutationem, & emphyteusim prohibet non seruata iuris solemnitate: ea tamen omnia absque vlla exceptione concedit si solemnitas obseruetur. Ergo emphyteusis concedi potest in perpetuum. Et confir- mo: quia aliter per venditionem, aut donationem facta maior est, quam per emphyteusim perpetuam, cum in vendi- tione transferatur dominium directum, in emphyteusim solum vile: sed concurrente solemnitate iuris licet venditio, & dona- tio rerum Ecclesiasticarum. Ergo etiam licere debet emphy- teusis.

3 At si feudum, & emphyteusis non denuo concedenda sunt, sed antiqua, & iam concessa renouanda, non petit talis renouatio conditiones à iure requisitas in alienatione rerum Ecclesiæ, modo illa res non sit denuo Ecclesiæ incorporata. Probo, quia illa renouatio non reputatur alienatio, sed conti- nuatio prioris alienationis factæ: & tradit Quarta in sum. bullar. verbo alienatio rerum Ecclesiæ, num. 39. & 40. Menoch. de arbit. casu 81. n. 5. & cons. 66. n. 31. & cons. 79. num. 1. & segg. Mol. disp. 469. conclus. 6. Couarr. 2. var. cap. 17. num. 4. Valquez in hyscul. de reatib. cap. 2. §. 2. dub. 16. num. 57. Bonac. disp. 3. de contract. quest. 8. p. 4. num. 20. González reg. 8. cen- cellar. glossa 6. n. 194. August. Barbola 3. part. de potest. Episcop. alleg. 95. num. 29. & alij apud ipsos.

4 Vt autem renouatio illius feudi, & emphyteusis conti- nuatio prioris alienationis reputetur, & non noua alienatio, tres requiruntur conditiones. Prima, vt eodem modo concedatur, ac prius fuit concessa, ita vt si prius emphyteusis non se exten- dit ad hæredes extraneos, neque in renouatione extendatur: & si pro vita vnius tantum concessa fuit, non concedatur plu- ribus. Qualibet enim variatione in his facta non celebratur continuatio antiquæ emphyteusis, sed noua emphyteusis con- cessio: sic Iulius Clat. S. feudum quest. 13. Riccius in *praxi re- rum firi Eccles. dect. 26. in vtraque edit. Mar. Anon. Gen. c. 6. n. 6. Barbol. allegat. 95. n. 3. Mol. Bonac. & alij loci citatis.* Secunda

Secunda conditio est, ut adit evidens Ecclesie utilitas in hac renouatione, sicut adit in antiqua concessione, a alias illicita erit: sic Barbosa num. 34. Riccius decif. 5. in vnaque edit. Cetera de Grassis decif. 4. de locato. Ex quo fit, si datum fuit pradium sterile in emphyteusim, ut sic ad cultum reduceretur, & finita emphyteusi iam non sterile, sed fructiferum redditum est, renouari non potest emphyteusis, nisi ex noua causa utilitatis Ecclesie superueniente. Tum quia prima cessauit. Tum quia moraliter reputatur alia res ab ea, que data fuit primo: sic Marc. Anton. Genens. cap. 60. num. 6. vers. primus. Praxis Episcopalis. cap. 1. num. 32. Barbosa aliis relatis 3. part. de potest. Episc. alleg. 95. num. 33. Est autem sufficiens causa renouandi emphyteusim remuneratio obsequij in ea facti; quia sic excitantur alij ad similes meliorationes faciendas, & peculium Ecclesie augetur, quod forte cessaret, si scierent emphyteusam rem sterilem accipere: tunc tempore signato conductionis sibi emphyteusim reddendam non esse: sic Galdas Pereira de nomine emphyt. quaest. 23. num. 60. & quaest. 12. num. 2. Barbosa num. 26. Tertia conditio est, ut res non sit iterum Ecclesie incorporata; quia per incorporationem omnino extinguitur prima alienatio, & res facta est Ecclesie, ac si ab ea nunquam discessisset: sic Mol. disp. 468. conclus. 8. usque in finem. Bonac. disp. 3. de contract. quaest. 8. p. 4. num. 30. Dicitur autem Ecclesie incorporata, quoties ij, ad quos administratio pertinet, decernunt eam non alienare, praelumitur autem sic decretum esse, si finita emphyteusi anno integro administrator ab illius renouatione abstinuit: sic Mol. tr. 2. de iust. disp. 468. circa fin. Ex his inferitur rem semel alienatam cum solemnitate effici perpetuo alienabilem absque solemnitate: sic pluribus comprobatur Gonzales rag. 8. cancellar. glossa 6. num. 194. Riccius in praxi rerum fori Ecclesiastici decif. 26. Barbosa alleg. 95. n. 32. Quod intelligendum est, si admittit supradicta tres conditiones.

3 Sed inquire, quando emphyteusis Ecclesiastica censenda sit transire ad heredes extraneos, quando in perpetuum, quando pro tempore determinato.

Plura in hoc quaestio inuoluuntur, que latiore explicationem exposulant, illis ergo pro tenuitate nostra satisfacimus, cum de emphyteusi erit sermo. Breuiter nunc respondemus. Primo, si concessio sit facta cum expressione in perpetuum, seu ad quoslibet successores, aut heredes, quos emphyteuta voluerit relinquere, clarum est, esse concessionem in perpetuum; quam diximus etiam in emphyteusi Ecclesiastica fieri posse: sic aliis relatis docet Mol. tr. 2. de iust. disp. 469. concl. 1. Valquez & Couar. statim allegandi. Dubium tamen est, an talis concessio non solum ad heredes descendentes, sed etiam ascendentes, & extraneos transeat. Et de emphyteusi priuata omnes conueniunt extendi. De Ecclesiastica sunt variae sententiae: probabilius credo ad ascendentes, & extraneos extendi, ex Authent. de alienat. & emphyteusi, si licentiam; & quia ascendentes propius similes heredes sunt; & quia ab Ecclesia concessa est facultas alienandi res Ecclesie in perpetuum seruata solemnitate: quod fieri non posset in emphyteusi, si ad extraneos, & ascendentes non transferretur emphyteusis: & ita docet Couar. 2. var. cap. 17. num. 5. concl. 4. Mol. tr. 2. de iust. disp. 469. post primam concl. Iulius Clarus lib. 4. sentent. S. emphyteusis, quaest. 8. num. 6. Secundo, respondeo, si res Ecclesiastica datur in emphyteusim pro se suisque heredibus, tertiam generationem non transcendit, neque ad heredes extraneos deuenit, ex text. in Authent. de non alien. S. emphyteusis, sic pluribus relatis firmat Cou. 2. var. cap. 17. num. 5. Valquez in opus. de rebus, cap. 2. §. 2. dub. 17. num. 59. Nominem autem heredem non solum viti, sed femine debent intelligi, ex suprad. S. emphyteusis, & multis exornat Couar. cap. 18. num. 1. & Valquez loco citato. Tertio, respondeo, si data sit emphyteusis alicui pro se, suisque filiis, inter filios equaliter est emphyteusis diuidenda, neque potest patet vni assignare omnia alii: quia filius non competit emphyteusis ex voluntate patris, sed ex voluntate domini concedentis emphyteusim; quam voluntatem patet mutare non potest, et in princ. de success. feud. legit adit alii relatis Couar. d. c. 18. num. 2. Mol. disp. 474. vers. quando patris. Valq. dubio illo 17. num. 68. Excipie tamen nisi aliud expresse a concedente esset determinatum: quod satis colligere, si dicitur concedo tibi, tuisque liberis, ut ipsi tanquam heredibus deferatur: tunc enim voluntati patris praelectio relinquuntur, sicut & melioratio: sic Valquez num. 6. & Couar. sup. num. 2. concl. 4. Quarto, respondeo, si emphyteusis data sit alicui pro se suisque filiis, & descendentibus, ad extraneos non transeat, neque ad ascendentes & competit tamen filiis, tamen si heredes non sint, sed hereditatem renouauerint: quia illis relinquuntur non qua ratione heredes sunt; sed quia sunt filij, & emphyteuta descendentes. Valq. num. 61. Cou. num. 2. concl. 5. Quinto respondeo, si alicui, eiusque filiis, & heredibus emphyteusis relinquatur, ad filios deuenit si heredes sint: quia dictio copulatiua, & heredes, denotat rationem relinquendi filijs emphyteusim, non esse tantum, quia filij sunt, sed quia heredes esse praesupponuntur: sic Cou. 2. lib. 16. Valq. n. 61. Ex vi tamen huius concessionis, si emphyteusis Ecclesiastica est, quae sua natura ad extraneos non transit, non competit heredibus

extraneis. Secus vero si ex sua natura ad heredes extraneos transmittatur, ut est emphyteusis secularis: quia dictio illa, & heredibus, non limitat significatum filij, ut ad solos filios heredes debeat emphyteusis deuenire, sed potius illius significationem auget, ut faciat hunc sensum, deueniat ad filios, quia iam heredes praesupponuntur, & deueniat etiam ad eius heredes, &c. sic docuit Cou. & Valq. supra. Sexto, respondeo, si data fuerit emphyteusis alicui, eiusque liberis, absque eo quod addatur heredibus, & successoribus, liberis competit, tamen si patris hereditatem repudiet; quia talis emphyteusis non est hereditaria, sed ex pacto sic Cou. 2. var. cap. 18. n. 4. vers. 7. Secus dicendum est, ut ipsemet Couar. ex Barr. notat, in feudo illa forma relicto; quia feudum nunquam potest ad filios repudiantes hereditatem patris deuenire, tamen si hereditarium non sit, ex text. in cap. 1. An agnati, & filij. Septimo, respondeo, si nulla facta mentione filiorum, heredum, aut successorum Titio emphyteusis concedatur, talis emphyteusis hereditaria non est; ac proinde ad filios non heredes pertinere potest. Secus dicendum de feudo, quod nunquam ad filios non heredes pertinere, bene tamen ad agnatos. Quod si iniquitas, quando dicitur emphyteusis, aut feudum hereditarium, quando ex pacto? Respondeo hereditarium dici, quando expresse in constitutione feudi, vel emphyteusis mentio fit heredum, ut si dico tibi, tuisque heredibus, &c. Non hereditarium est, quando nulla mentione facta heredum relinquuntur, vel quando relinquuntur alicui, eiusque liberis, & descendentibus: haec omnia late, & optime defendit Iulius Clar. lib. 4. sentent. S. emphyteusis, quaest. 16. Aluar. Valasc. de iure emphyteut. quaest. 43. & 44. Mol. tr. 2. de iust. disp. 472. per totum.

§. V.

Quae conditiones in alienatione iuris patronatus, & sepulchrorum seruandae sint.

- 1 Ius patronatus inter bona immobilia computatur.
- 2 Qua ratione alienari possit.
- 3 Ius sepulchri vendi non potest.
- 4 Ius sepulchrorum, & patronatus qua ratione ad successores deueniat.

1 **C**onstat ius patronatus inter bona immobilia, vel saltem mobilia pretiosa computandum esse; ac proinde si apud Ecclesiam existat, alienari non potest a Rectore, non seruatis supradictis conditionibus, illis vero seruatis alienabile est: quia nullibi specialis eius alienatio interdicitur.

2 Aduerto tamen per venditionem illius directe factam nunquam alienari posse: quia ut dicemus disput. de Simonia, pretio adequari non potest; quia est quid spirituale. At consequenter bene vendi potest vendita hereditate, cui tale ius annexum est, ut latius ibi; & pluribus comprobatur Lambertin. lib. 1. de iure patronatus, 2. part. q. 3. art. 17. n. 4. Item alienari potest per donationem; quia in hac nulla rebus factis irreuerentia committitur: quae donatio si fiat Ecclesiae, vel loco pio, non indiget Episcopi consensu, indiget tamen si fiat laico: text. in cap. quod autem, & illud, de iure patron. & tradit Lambert. de iure patron. lib. 1. p. 2. q. 1. art. 2. & 3. Rochus de Curte de iure patron. verbo ipse velis, q. 7. n. 16. Mol. de primog. l. 1. c. 4. n. 13. Item potest alienari permutatione cum iure patronatus alicuius Ecclesiae, vel loci pii; & hoc absque Episcopi licentia, ex text. in c. Nemi 16. q. 7. & tradit glossa c. cum saeculum, verbo emptorem, & clem. 2. verbo libere, de iure patronat. Si autem permutatio fiat cum priuato, Episcopi consensum necessario requirit, si ius patronatus sit Ecclesiae; si vero sit ius patronatus priuatum, probabilis etiam est requiri Episcopi consensum: tradit Roch. Curte. supra, q. 16. n. 30. Lambert q. 3. art. 1. 2. & 3. Mol. n. 14.

3 Quod si de iure sepulchrorum loquamur (quod vt ipse, suisque heredes, successores, & quicumque ab eo signati, in loco ab Episcopo benedicto sepeliuntur, & nullus alius) certum est vendi non posse: quia est quid spirituale. Excipie tamen nisi vendatur tanquam accessorium alicuius praedij habentis hoc ius; si tamen praedij ita habet ius illud sibi annexum, ut nulla alia via, ius ad sepulchrum pateat, nisi per illud praedij: tunc enim venditio praedij transfertur & ius ad sepulchrum, sicuti de iure patronatus dictum est.

4 Qua vero ratione ius patronatus, & ius sepulchrae ad successores deuenire possit, non est huius loci disputare, videatur Mol. de primogen. d. cap. 24. Couar. 2. var. c. 18. n. 8.

§. VI.

An alienatio rerum Ecclesiasticarum absque iusta causa, vel sine debita solemnitate valida sit tam in foro externo, quam conscientia.

- 1 Absque causa legitima alienatio facta nulla est, nam et si aliqui contrarium sentiant.

2 Quid